



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

1. De Euangelio Dominicæ, De villico iniquitatis. Luc. 16.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

III. Iesus murmurantibus Phariseis & Scribis, quod cum publicanis & peccatoribus manducaret, respondit: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores.* Quis quantumvis enormis peccator, modo seridè respiscat, de venia consequenda desperet, si Filium Dei, cœlestem medicum, propter se ad sananda peccatorum suorum vulnera de cœlo venisse veraciter credat? imò, quem non inflammet ad studium extremæ perfectionis immensa eius misericordia, ut certò & in se completum confidat illud: *Vbi abundavit delictum, superabundavit & gratia?* Fidio, feruens conuersio.

VI.	De fundamentis perfecti amoris Dei.	} 6. p. med. {	} 9
VII.	De internis amoris Dei actibus perfectè exercendis.		

9. Hebd.  
post  
Trinit.

Dominica VI. post Trinitatem.

*De Villico iniquitatis. Luc. 16.*

I.

I. Villicus diffamatus, quod dissipasset bona Domini sui, audiens

diensque: *Quid hoc audito de te? Redde rationem villicationis tua: iam enim non poteris villicare.* quomodo fuerit confusus & consternatus? quam anxius de reddenda ratione & instanti officij priuatione? Quanto magis confundi & consternari deberet quiuis peccator, & tepidus seruus Dei abutens, aut oscitanter vtens bonis sibi concreditis, (cuiusmodi sunt dona naturalia corporis & animæ, vt valetudo, ingenium, doctrina, eloquentia; & bona fortunæ, vt opes, dignitas, potestas; & dona supernaturalia, vt gratia habitualis, virtutes infusæ, auxilia gratiæ actualis, gratiæ gratis datæ) audiens vel per internas inspirationes, vel per piorum librorum, Superiorum, Concionatorum admonitiones de his omnibus strictissimam reddendam esse rationem? O quoties audis: appropinquat tempus reddendi rationem talentorum tam malè & languidè impensorum: dum tempus habes operare bonum: venit nox, quando nemo poterit operari? & cheu dissimulas? Metus iudicij, seria emendatio, & feruor proficiendi.

II. Villicus, quid sibi agendum, prudenter deliberans, cōcludit debitores

Domini.

Domini faciendos sibi esse amicos, cō-  
donando aliquid de summa debito-  
rum, idque confestim exequitur. Sic  
peccator & tepidus seruus Dei, moni-  
tus de instanti reddenda ratione, post  
seriam deliberationem decernere de-  
beret. deinceps talentis acceptis natu-  
ræ, gratiæ, fortunæ impigrè vti, non  
ad suam tantum spirituales profectū,  
sed ad maius quoque proximorum  
emolumentum, idque eò feruentius,  
quò certius nouit elapso tempore gra-  
tiæ non fore amplius vllam, vel proxi-  
mos operibus charitatis & misericor-  
diæ demerendi, vel Deum precibus  
placandi in æternum occasionem. Fer-  
uor redimendi tempus perditum seria  
pœnitentia, assidua charitatis & mise-  
ricordiæ erga proximos, & pietatis er-  
ga Deum exercitatione.

III. Laudauit Dominus villicum ini-  
quiritatis, quod prudenter fecisset, *quia*  
*filij huius sæculi prudentiores filijs lucis in*  
*generatione sua sunt.* Heu, quanto pru-  
dentiores, sollicitiores, feruentioresq;  
sunt filij huius sæculi in captandis um-  
bris diuitiarum, honorum, voluptatū,  
quibus in æternum interitum demer-  
guntur, quàm filij lucis in quærendis  
veris thesauris puritatis conscientiæ,  
soli-

soliditatis virtutum, & augmenti gratiæ sanctificantis, quibus æternam felicitatem sibi promereantur! Zelus feruenter in omni perfectione & sanctitate proficiendi, & merita augendi.

*De filia Iairi Archisynagogi resuscitata. II.*  
Matt. 9. Marc. 5. Luc. 8.

I. **I**esus cum à Iairo Archisynagogo, coram se prostrato, multum rogaretur, ut filia in extremis existenti manum imponeret, & sanaret, confestim relictâ turba, qua circa ipsum erat, sequebatur eum cum discipulis suis. En quàm paratus verè benignus & misericors Dominus non solum afflicto huic parenti, sic se humilianti, cum tanto desiderio ac fiducia filia sanitatem desideranti, sed omnibus afflictis similiter ad se confugientibus opitulari! Quàm longè superat hæc eius benignitas omnem paternam maternamque benignitatem! hoc credis, & adhuc eius plusquam maternæ dilectioni diffidis? Filialis fiducia & recursus ad Christum in omni angustia.

II. *Cum in via Archisynagogo nuntiaretur: Quia filia tua mortua est, quid ultra vexas magistrum. Iesus audiro verbo hoc, ait ei: Noli timere, tantummodo crede, & sal.*

& sal.